Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Num. XLV. ANNI 1676. 5. JUNII.

1676

Visual Library

EXTRAORDINARIÆ RELATIONES ANNI 1676. 5. JUNII.

Kehl, 16. May.

A Kehl Thalallus de Ruyters, in nupera naumachia pede & capite vulneratus, non vi vulnerum sed debilitate senii dicitur vitâ defunctus: naves Hispano-Hollandicæ, cum Syraculano in portu medeam laceris suis vulneribus non invenirent ob necessariorum penuriam, pulsæ sunt in Panormitanum, celebrem nervo maritimo: lapsâ hac hebdomade pars novæ Classis Gallicæ ad portum nostrum *Civita Vechia* dictum visa fuit, refectura vires suas itineris difficultatibus nonnihil fractas, in quibus adolescentes quatuordecim aut sedecim omnes annorum agunt epibatas, unde videre est, Gallias laborare viris & viribus; pars altera mansit in portu Genuensi: ante triduum tex bellicæ Hispanæ naves sub noctem improvisis telis feriebant in dicto portu nostro Gallos incautos, exorto autem tumultu cum hujates è munimento ignotum hostem Gallorum conarentur abstinere; clam se fugæ dederunt, jungendæ forsan ceteris, nisi interdicturæ Gallis conjunctione, audiemus aliàs. Papa Ter Opt. Max. apoplexiâ tactus, decumbit, in sollemnitate Ascensionis erant ad impertiendam populo cœlestem benedictionem parata singula, non autem prodiit senilis morbi ergò. Hispani lætantur, Classem suam ex India salvam & incolumem advolasse, divitem viginti & septem millionibus potissimùm ad Mercatores spectantibus, cujus æris pars non exigua ærario publico est adscripta, quæ aliàs mercatoribus Gallicis debebatur.

Viennâ, 24. May.

EXequiarum die primâ Nuntius Apostolicus, alterâ Episcopus Gurgensis Baro de Goes, ultimâ Episcopus noster ad aram faciebant, præsente Imperatore velatâque facie parentante. Comites de Capliers & Breiner, ille supremus, hic vice-Generalis belli Commissarius cogitant ad castra Cæsarea, instructi vi magnâ pecuniæ: de abitu Comitis de Montecuculi rumor denuò obmutescit: Campi Marescallus de Souches habet licentiam ad balnea Bohemiæ proficiscendi, suam illis retocillaturus valetudinem. Phalanx Generalis Copp in agris Mechlenburgicis ad duodecim virorum millia excrescet & miles Vngaricus pluribus legionibus roborabitur: cum ad alendas officinas navortias opus sit multâ pecunia, Cæsareo-hereditarias Provincias novis mandatis monuimus promtâ largioremque pecuniarum solutionem. Propter obsidionem Philippopolensem, quam morans hic Electoris Heidelbergensis Orator Baro Kunitz instantissimè sollicitat, Cæsar decrevit alterum Ministrum ad utrumque Imperialem circulum Sveviæ & Franconiæ legare, qui cum illis, Imperialibus Civitatibus & aliquot Electoribus principibusque vehementius agat super extraditione machinarum, nervi, aliorumque ad obsidionem necessariorum; felicissimos intereà speramus fore progressus exercitûs nostri, cum Cæsar Principi Lotharingico plenariam dederit potestatem & autoritatem Poloniarchi. In dato nuper alloquio Cardinali Hasiæ inter cetera ad illius instantiam Cæsar domui Darmstadiensi, velut olim Hasiæ, dignatus tribuere titulum Serenitatis, Grammato-philacio per decretum jussit eundem posthac observare. Gubernator Erlaviensis contrà rebelles mandatû divulgavit, vi cujus acinaces abjicere, rebellionem dimittere, domusque suas redire jubentur; secùs, illos, quâ hostes solent, à suis ferocitate & persecutione flagellandos.

Parisiis, 26. May.

DVx de Vitry huc è prædiis suis redux, jubet maturari impedimenta sua ad iter Noviomagense. Pacis spem amplam denuò nobis imaginamur, minimè dubitantes, quin jam tum boni quid ad restituendam illam integram sit statutum; immò ipsa subsequatur. Princeps Condæus in pristinam relapsus infirmitatem, impeditur à proposito itinere ad castra. Rex non priùs redibit, quàm tertiam feliciter absolverit expeditionem in Belgio contra Hispanos.

Ratisbonæ, 28. May.

EXpugnatio Civitatis *Bonchain* tacta spectantibus Hispanis & Hollandis fortasse annihilabit conclusum nuper in puncto præstandæ guarantiæ pro Circulo Burgundico, siquidem Oratorum plurimi, allato illo nuntio, conturbabantur, quasi propriæ salutis conservatio ab illis negligeretur, immò nonnulli ajebant, à Statibus consultandum esse, qui & an à Cæsare aut à Confederatis inquirendum, quæ sit origo, quis autor tanti mali. Accepimus è Gallis, Regem Christianissimum nihil exoptare vehementiùs, quâ ut Cæsarei Philippopoleos obsidionem auspicentur, cum illis obsidione illa moras trahentibus, facilioribus progressibus alibi expeditiones suas prosequeretur; hoc autem rerum statu cum plurimum prosit occupatio munimenti Philippopolensis trans-rhenani, urbs cis-rhenana eminùs solùm obsidebitur, Exercitus verò præter Gallorum mentem invitet solum hostile.

Argentorato, 29. May.

EX superiore Alsatia Exercitus Gallicus sub auspiciis Ducis de Luxemburgh descendit, equitum septem & peditum decem facilè millia censens, quos habet Hibernos, dimicare refugiunt. Currentis decimâ tertia st. v. sub quintam matutinam defunctus est Nanceji Marescallus de Rochefort regius Lotharingiæ Gubernator. Exercitus Cæsareus sub Principe Lotharingico trans Rhenum ascendit, volens trajicere, & cum nostro ponte non possit uti, navigia omnia è *Kehl* secundo fluvio tendunt ad litus Rupertinense seu *Rupertsaw*, ubi pons conflatur, quem trajecturus: Exercitus Galliti trons propè *Klockelsbergh* visa est, comitata ch rurgis: sedem illi Tabernas inter & Hagenoam fixuro, ne laboret annonâ, Colmarienses sexagenos mille panes subministrant: Galli inter se dissentiunt, & alter alterum pro virili exuit: recens propter tentum rapiendum carpionem Gallus Gallum, qui eques illum ad intendentem Brisacensem transportaturus, immò forsan ad Ducem de Montmorency seu Luxemburgh, sclopeto interemit. E Burgundia multi accedunt manipuli, Exercitum Gallicum roboraturi: Comes Broglio, nuper in Helvetia captus, ducitur ad carceres castri Bilancinensis, videtur enim Gallus, fuisse complex conspirationis, propter quâ Patrinis D. de Rohan non ita pridem plexus est capite. Viginti & sex Vngarici quondam præcones seu prædicances vinculis Hispanarum triremium liberati, Anglicâque nave vecti Venetias, proximè venient, ni fortè jam tum venerint, Tigurum in Helvetiam: Basilienses referunt, procul dubio exiguum fore numerum Gallorum in castris, cum quotidiè fugitivi suam transire Civitatem videantur turmatim, metu sinistri ominis, quod putant ex visis nuper tribus in aere solibus sibi maxa præsagire non pauca. Zvveybruckenses incolæ munitiones, propugnacula, turres & mœnia sua, quæ hactenùs à Gallis teryen,

COPYRIGHT - NOT TO BE REPRODUCED PHOTOGRAPHICALLY WITHOUT PERMISSION
SF 118/11
Staats- und Universitätsbibliothek Bremen
DFG

tissimo roborata labore, subjecto pulvere vibrare in auras, sumtus propugnaculis illis adhibitos resarcire & multum tributi sub incendii minis solvere sunt jussi. Hagenoa quinque Ga[illegible]m millibus formidabilis metuit hostiles impetus; non autem insolenter excurrere & prædas agere abhorrent præsidiarii, quorum tria duntaxat numerari millia, nonnulli existimant.

Hamburgo, 30. May.

AD inchoandam Stadensiam obsidionem quotidiè majores confluunt apparatus: ante triduum improviso in Rativis Monasteriensibus suscitatum incendium succendebat aliqua scloperca onerata & pyrobolos; quorum fragore & flammis non leves tumultus excitabantur. In ore omnium nudius tertius & heri versabatur expugnatio munimenti Schvvingerensis tribus parta insultibus, confirmante id piscatore, quasi vexilla Danica è speculis illius vidisset expassa. Biduo Orator Moscoviæ hac in Hollandiam profectus est. Conditiones deditionis Gotlandicæ tacito pede præterimus, an non sufficit ejus subjugatio? Insulæ illius magnitudo ad novendecim & latitudo ad tredecim se millia extendit, unus solum datur accessus navibus, uni post alteram, sex si ibidem latitent, universam Classem Svecicam possunt abstinere: præter illam, Classis Danica alteram *Ousel* invasit, & validissimam eius arcem *Avensburgh* subegit, cujus subactio majoris momenti est quam Gotlandicæ, cum inter cetera, generosissimi Equi Svecorum Regis spolio cesserint, nihilque è *Riga* & *Revel* in Sveciam posthac transportari possit: Classis perrexit ad tertiam dictam *Oulandt*, pari modo subjugandam, quæ cum subjugata fuerit; tres hæ Insulæ quot annis Danorum Regi dabunt quatuor auri vasa: porrò Danicus Exercitus nunc procul dubio movebit, invasurus Scandiam, *Schonen*, valens duodecies mille peditibus & decies mille equitibus sub auspiciis Principis Ploensis, transportandus navigiis: quælibet legio utetur sedecim & Thalassus Tromp aderit hujus militis in litus Scandicum expositioni.

Ex Tractu Albis, 30. May.

OB discordias Proceruſſ Aulæ Svecicæ nondùm Classis Holmiano è portu provolare potuit. Protractio sententiæ in Grammateū Greiffenfeldt serendæ videtur diminuere gravitatem causæ: Hafniæ à tempore adventûs Thalassi Tromps quotidie senatus bellicus est habitus, tanteque fervore promota martis maritimi armatura, ut universa classis ad abmeandum paratissima: rates, quibus subacta *Gotlandia*, ceteris alia machinantibus, revolant; jungendæ Hollandicis: ipsâ Pentecostes festivitate è Lutheranis Hafniæ suggestibus templisque grates egerunt superis quammaximas incolæ de recuperatione Gotlandiæ: Rex Danus secundâ proximi Junij lustrabit in armis militem in *Elsenevr*: vigesimâ hujus Danorum Regi juramentum præstitit Administrator Fridericus de Ahfeldt quà Regni Grammateus seu Cancellarius: decimâ nona veniebat Hafniam vexillifer legatus à Pro-Rege Guldenlevv cum litteris ad Regem, quibus excultus in grati animi signum triginta Imperialibus, novis instruebatur responsoriis ad Pro-Regem ferendis, quibus clam reseratis, cogitabat ad Svecos in Scandiam, revelaturus earundem arcana, cum verò mentem illam prodidisset duobus prætorianis fugam ad Svecos simulantibus; hi illum ad Regem detulerunt, ideòque mox captus, pro dignitate criminis, novi in sui gratiam erecti infamis ligni fiebat appendix.

Spirâ, 30. May.

MIlle Equites Franconiæ sub exordium labentis hebdomadæ has in oras venerunt: heri fama credebat; decem Gallorum millia, ad hunc Rheni Tractum destinata, improviso ab Hollandis esse profligata, quod non credunt, qui mirum quid è Brabantia cum stupore cognoverunt. Philippopolenses non, ut ceperant recens, laxant frena excursionibus, metu captivitatis; non enim abunde [illegible] nec facilè novi possunt his è plagis acce[illegible] vigiorum suorum comminutio sibi tr[illegible] interdicat: adjacet nobis Ladronica Cr[illegible] gio, quæ liberrimè ad ipsas Philippopolen[illegible] culas vagans beatam se diceret, dum Gallum[illegible] is suis irretiret. Ex Turcia cognovimus, visum [illegible] dem non sine sinistro Turcorum omine vivam Ar[illegible] lam bicipitem Romano-Cæsaream. P.S. Cum Gall[illegible] ient in campo ad pugnam sibi aptissimo, & à tergo defendantur nemore, Cæsarei (hæc est fama) jussi discuntur nonnihil retrogradi.

Heidelbergâ, 30. May.

LApsâ Martis Cæsareus rei tormentariæ Præfectus Margravius Hermannus Badensis cùm Electorem nostrum Fridericopoli sub meridiem invisisset, sub vesperam redibat Spiram: ex *Brurheim* resciimus, rusticos aliquot, aliquamdiu Philippopoli detentos [illegible] paucis ante diebus dimissos fateri & affirmare, dicta in urbe Gallica ex penuria carnis recentis bovinæ jam tum sedecim mactatos Equos, venales in macellis expositos, libram tribus nummis vulgò cruceis seu cruciferis distractam, panemque, qui passim ruri venditur decem cruceis, floreno vendi; vini verò de vite & urentis pretium, hoc rerum statu crescens, non extra ordinem crevisse. Stercontium *Cassel* veniet proximè Princeps Filius Electoris Brandenburgici, fortasse contracturus matrimonium cum juniore Principe Filia Casselensi, dictâ *Henrietta*. In Helvetia Orator Gallicus mirum in modum gloriatur, magnos esse progressus Regis sui non solum in Flandria sed etiam Catalonia & Sicilia; Polonorum Regem irruptorum in Borussiam, Turcas metuendâ militum manu auxiliaturos rebellibus Vngaricis, &c. Philippopolenses ejecerant 400. mulieres & proles, mox verò repellebantur, omnibus exutæ. Comes Broglio vinctus pedibus manibusq; ducetur Parisios.

Hagâ Comitis, 2. Junij.

NOster Exercitus redux Bruxellas, singulare nihil expediit, cum verò Gallicus premas vestigia, singularius forsan expediet. Cum nuper consultaretur inter Confederatorum Oratores super extradendis mutuò salvi conductûs litteris, videbantur hi novas difficultates oppositurì; ajebat autem Pensionarius Fagel, plebem, si diutiùs dictam extraditionem protrahi adverteret, minatam fuisse lapidationem: agitur aut fortassis actum est, quos habitura limites neutralitas Noviomagensis. Quinque Selandorum Burnicæ agunt cum licentia piraticas Brandenburgicas, vagaturæ mari Baltico, inter ceteras, etiam abreptura Hollandicas, si quæ forsan nervo & annonâ graves ad portum Svecicum cogitarent. Cum Selandia nondùm suas rates instruxerit, mittendas in Daniam; Orator Danorum vehementissimè urget earundem instructionem. Latet dies, quâ Brit. Orator D. Tempelius & noster D. Odick Noviomagum migraturi.

Ex Tractu Mosæ, 3. Junij.

IN veterâ suâ de anno 1603. privilegia, recens recusa jurârunt triginta & duæ tribus Leodienses; quidquid occurrit, intimatur tribubus discutiendum, ideoque fraterna Civium est concordia, renovationem mœnium quam ferventissimè maturantium. Gubernator Trajectensis indicavit Collegis ad pacem cudendam deputatis, missas sibi salvi conductûs litteras, jubetque quam celerrimè ad abitum impedimenta instrui. Gubernator Belgicus Deudermondam inter & Bruxellas in villa quadam & Princeps Auriacus non procul illinc in *Merchten* quiescunt: multi manipuli Hispano-Hollandici tendunt in agros VVaesenses, quorum incolæ novò Gallorum metu Gandavum denuò cum nobilioribus confugiunt: Galli morâtur in agris Alstanis in *VVestere* [illegible]

Mors, ebeni pulsavit Petram in vivis pro Deo & Cæsare immobilem, Principem Electorem Treviri[illegible] eumq; lapsâ Lunæ è viverum numero [illegible]

Imprimebat PETRVS HILDEN S. C. M. P. R.

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen
DFG